

Dissertatio medica, inauguralis, de imaginatione morborum causa ac remedio : quam ... pro gradu doctoratus ... / eruditorum examini subjicit Oswaldus Hunter ... Ad diem 24 Junii.

Contributors

Hunter, Oswald.
University of Edinburgh. Faculty of Medicine.

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant C. Stewart et socii ..., 1803.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/a4yjhydj>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.


**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>







T. H. H. Davies.
Elmley Castle.





Supp. 59550/13


1301











DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

IMAGINATIONE.

Juveni Optimo
Henrico Thoma Davis

Ornigero

non magis
Ingenio et Scientia

Ornato,

Juam
Probitate, Patria Amore
Omnibusque bonis artibus

Prædito
Hanc Dissertationem Medicam Trajurgalem

Liquam quidem,

sed Sinceram

Summa Obsequentia

Testimonium

Tacram vult

Opusculum Junte

DISSERTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,
DE IMAGINATIONE
MORBORUM CAUSA AC REMEDIO,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

OSWALDUS HUNTER,

SCOTO-BRITANNUS,

CHIRURGUS.

Ad diem 24 Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT G. STEWART ET SOCII,
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.


1803.

347892



ERRATA.

- P. 1. lin. 2. *pro mentis lege menti*
lin. 4. *lege e functionibus animi*
2. lin. 9. *lege Materia profecto longius*
4. lin. 10. *lege referenda tribuero*
6. lin. ult. *lege similitudo, aequalitas,*
9. lin. 17. *pro Cogitatione, lege cogitationes.*
13. lin. 9. *pro excoritur, lege exuritur*
14. lin. 14. *pro cetera, lege ceterae.*
16. lin. 16. *pro qua, lege quae*
24. lin. 7. *pro praesenti, lege proidenti*
25. lin. ult. *pro nunc, lege hunc*
29. lin. 6. *pro Ex lege Et*
32. lin. 1. *pro disimiles lege diffimiles*
39. lin. 18. *lege nomine Tractorum*
— lin. ult. *lege effectus nequaquam minores*
41. lin. 17. *beneficii ex iis*
— lin. ult. *lege Functiones ei*
42. lin. 7. *pro ratioem lege rationem*
43. lin. 4. *lege lites in me*
— lin. 5. *pro utraeque lege utrosque*
44. lin. 13. *pro subito lege subita*



DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE IMAGINATIONE,

MORBORUM CAUSA AC REMEDIO.

AUCTORE OSWALDO HUNTER.

POTENTIAM insignem ad conditionem corporis mutandam mentis inesse apud plerosque scriptores medicos notatum est. Vis quoque imaginandi, e functionibus tanquam validissima, saepe fuit celebrata, ejusque impetûs haud coercendi exempla fere innumera enarrata sunt. Parum autem, vel de modo quo haec facultas muneribus fungitur, vel de gradibus quibus ad effectus suos consequendos procedit, adhuc fuit expromptum.

Invitus

Invitus equidem operam aggredior difficilem, viribus certe majorem; nec polliceri aufim me rem caligine merfam pandere, seu lucidiore ordine, quam alii adhuc, exponere. Sed quid vetat, narrationibus rerum exploratarum suspiciones et conjecturas aliquot adjicere, quae non profus ineptae ideoque attentionis haud indignae videntur?

Materia longius latiusque patet, quam in tentamine hujusmodi fatis dilucidè exponi possit. Quae itaque dicenda sunt, ne laxis datis habenis modum exceffero, intra fines arctos continebo, atque potius res veras (quae utilitatem manifestam secum proferunt) recensere, quam suppositiones ingeniosas et subtiles fingere conabor.

Vires animi nequaquam fatis sunt inter se discriminatae ac definitae. Sunt qui eas nimis generaliter ac perfunctoriè distinguunt; alii qui nimis subtiliter.

Semper mihi visum est, Imaginationem a Conceptu, seu facultate res antea sub mente versatas repraesentandi, distingui debere, quia haec propè simplex est functio, illa autem ex pluribus aliis facultatibus conficitur. Compluribus procul dubio animalium generibus potentia datur concipiendi, nullum vero animal praeter hominem munere imaginationis gaudere videtur.

VOX IMAGINATIO facultatem conjungendi in novis speciebus formisque ideas antea per alios sensus nobis suppeditatas exprimit. Huic inserviunt *perceptio* imprimis et *conscientia*, ex quibus notiones universae sunt derivatae; *conceptio*, quae, rebus ipsis absentibus, earum similitudines effingit, *memoria*, quae ad conceptionis actionem prorsus necessaria est, *abstractio*, quae ideas commistas separat, *judicium*, *sensusque pulchritudinis*, quibus seliguntur materiae in novas formas disponendae.

Imaginatio itaque modus est peculiaris quo omnes mentis facultates vires suas conferere possunt. Conceptui vero magis quam alii cuiquam earum Imaginatio est affinis, nec quidem ullo modo haec ab illo discrepat, nisi quod multo compositior est, atque auxilio ceterarum facultatum magis eget.

Quamvis igitur in observationibus quas prolaturus sum, Imaginationi aliquando quaedam potius conceptui tribuero, non tamen meipsum errandi a proposito jure accusandum sentiam, quodcunque enim de simpliciore verum est ad complexiorem plerumque quoquomodo ascribere licet.

Non me latet multa de hac re jamdudum scripta fuisse. Sed impedimento mihi erat, quominus multos talium scriptorum consulerem, quod nequaquam mihi arridebant pleraque apud libros celeberrimos circa hoc argumentum prodita, in quibus nullas limites justas inter
operationes

operationes mentis dissimiles constitutas inveniebam. Aegrè profectò ferebam, quod ubi res veras distinctè et perspicuè enarrandas quaesiveram, non nisi contemplationes leves futilesque reperui, quodque ubi narrationes simplices invenendas speraveram, obscuris et incompositis disceptationibus perlegendis defatigatus sum.

Res de quibus haec facultas versatur innumerae sunt, quippe quae tam variae quidem quam sunt, ideae quas mente concipere possumus. Omnia quae sensibus tum externis tum internis percipiuntur materiam infinitam ad imaginationem exercendam praebent.

Exercitatio autem hujus potentiae multis ab rebus quarum rationem semper habeamus oportet afficitur. De his pauca expedienda sunt.

Multum

Multum imprimis ab aetate et temperamento vario pendet. In teneris annis, dum paucas adhuc mens notiones comparavit, tenuis est Imaginatio. Copiosior autem et agilior fit, prout ad fortiorem aetatem propius adventum fit; tunc maxima est. Moderatior dein lentiorque fit paulatim, prius autem quam senectute vires corporis fractae sunt, deficit plurimum. In temperamento sanguineo, nec minus in cholericis, valida ferè est agilisque. Nec melancholicis deest; sed in frigido stupidoque phlegmaticorum genere, torpida omnino est ac segnis.

Confociatio Idearum functio est animi quae Imaginationi, pariter ac memoriae iudicioque singulariter infervit. Haec autem facultas cogitationes menti suggerit, propter affinitates certas quae iis cum aliis sunt, quarum maxime notabiles sunt proximitas tempore locoque, ordo, nexus causam inter atque effectum intercedens, similitudo, oppositio, differentiaeque cu-
juscunque

juscunq̄ue generis admodum perspicuae. De his omnibus hic differere non opus est.

Pathemata, quae dicuntur, animi, ad Imaginationem movendam plurimum valere bene novimus, atque saepissimè quidem causas esse, ad ejus actionem excitantes. Qui in furorem actus bacchatur, illi subitò in mentem irruunt omnia quae in moribus offendentis odiosa et nefanda concipi possunt; omne porrò quod offensionem ingravare possit centies augetur. Deinde ad injuriam iratus ulciscendam accenditur, omnes vindictae rationes exquirit; rursus ad graviolem reddendam culpam et contemplationes delinquenti injurias volvendas revertitur, donec brevi admodum spatio omnia, quae ira infrenis fuggerere possit fuerint iterum iterumque lustrata. Quem timor servitio premit, formae terrificae, quae nunquam fortium mentibus occurrissent, per ejus pectora plurimae insinuant. Timidus coacervatim agglomerat omnes imagines horrendas, de quibus fama garrula unquam mendacia

dacia finxit, in caligine oculos aperire non audet, ne spectrum terribilius visu quam acies mortalium, tuto aspicere possit de improvviso profiliat, ancipiti fortunae, (utrum discrimini pugnae, an aliis vel maris, vel terrae periculis,) se objicere renuit; omnes enim casus infausti semper ante oculos sunt expositi. Sic verò terrores ac pericula, sub noctis umbra latentia, eodemque modo fortes omnes minaces multiplicat, ut tandem magis ac magis horrore perculsus, dum alii stant securi, corruat.

Ille quem amor noctes diesque exercet, adjuvante phantasiâ, campis Arcadiae apricis immittitur, ubi secundum ripas placidae amnis, prope quas greges securae vescuntur, dum pastores carminibus agrestibus certant, dilectam comitari licet, inde ad recessus nemoris suaveolentis, sub Maenalo pinifero, vel Erymantho sublimi illam haud invitam ducit; ubi millia volucrum blandis concentibus mulcent aures, ibique oculi scenis amaenitate praecellentibus, locis laetissimis delectantur.

Ibi

Ibi cum dilecta pulchriori quam antea unquam visa in gramine floribus gemmato, sub tegmine myrtæ frondosæ, arboris Veneri gratissimæ, recumbit, ibi dant avidos amplexus animasque mutuò transfundunt. Amator sic imagine formæ correptus ultra modum accenditur, ac *fervidum nutrit sub pectore vulnus.*

Imaginatio, prout plus minus ulli alterive con-
fociationis vinculo paret, aut cujusvis pathema-
tum generis imperium patitur, morem paulatim
acquirit peculiarem, qui longo usu tandem adeo
validus evadit, et super omnes ceteras mentis
potentias ditionem haud resistendam proferat.
Quicumque acriter et assiduè studiis unius tantum
generis indulget in modum cogitandi artificia-
lem, quasi mechanicum, quem mutare difficile
erit admodum, inducitur. Cogitatione alveo
quodam quem exsuperare nequeunt defluere dis-
cunt; secundum hunc consuetum assiduè agunt
cursum, nec expatiari conantur. Omnia menti-
talis hominis objecta, (si agilis saltem et impetu-

osa fit Phantasia,) in torrentem hunc praecipitem attrahuntur, ac declivi cursu feruntur. Huic causae tribuenda sunt studia quaedam rara, curae singulis peculiare (et quae Anglicè vocantur, *Hobby horses*,) errores ridiculi, hallucinationes, ideae melancholicae, deliria,—mens enim quae unicam idearum seriem evolvere solita est, ad alias contemplandas, more saltem quo ceteri homines has intueri consentiunt, fit prorsus inepta. Res cui tota ejus attentio dedita est sola videtur, quae notitiam intellectus culti meretur, hujusque rei nexibus cum aliis rebus nequaquam cognitis, tali aspectu illi apparet, qualis omnibus sanis manifestè absurdus perspicitur. Imaginatio hoc modo, propter consuetudinem, in ratione fingendi sibi propriâ versata saepe tum valida devenit, ut voluntatis imperia spernat, ac rationis consilia susque deque habeat.

Haec autem facultas, quamvis saepe indomitam se ostendat, nequaquam tamen vires praeter arbitrium solet adhibere. Plerumque contrà nil
vetat,

vetat, in ullum rei alicujus conspectum aciem animi convertere, et huic pro tempore mentem arrectam summis viribus adjicere. Nil vetat quin cogitationem aliquam ad varias ejus consequentias, series, nexusque persequamur, et quodocunque libeat hanc operam intermittamus, ut in aliam rem studia conferantur.

Sunt equidem haud pauci, qui, propter culturae defectum, sive institutionem vitiosam, in tantam phantasiae confusionem inciderunt, quique inconstantiae tam abnormi facti sunt obnoxii, ut exiguam admodum in vita regenda potentiam exercent voluntas. Tales saepissimè lapsu quasi declivi, in asperrimam effrenatissimamque insaniam cadere videmus, nec sanationem perfectam ferè unquam datur sperare.

Quæ adhuc memorata sunt magis constanter agunt, et ad imaginationis naturam (quam *characterem* Graeci vocant,) determinandam haud minimùm valent. Alia sunt non minus valentia,

tia, educatio, exempli causâ, ac ratio vitæ diu persecuta, de quibus tamen longiùs differere non in animo est.

Contingentia innumera quotidie evenientia actioni hujus facultatis initium dant. Haec nimirum occasiones sunt, quae in certas cogitandi series impellunt, et, pro diversis suis naturis aliam vel aliam suggerere, cogitationesque suggestas magis vividas reddere, idonea sunt.

Conditio corporis, debilisne an firma, effectum constantem praebet. Sed arctiores intra limites continentur quae faciunt repletio ad tempus atque exinanitio subita. Illa facilè laetas vividasque imagines arcessit, languidiores effert haec et plerumque tristes.

Appetitus quaevis excita cogitationes ad objectum suum aliquo modo affines, vividiores autem vel debiliores, prout ipsa vehementior vel inertior sit, movere solet. Quem ardor edendi
fatigat,

fatigat, illi in mentem veniunt mensae dapibus opimis oneratae, quibus contemplatis, importunior urget fames, os movetur, ac dens in dente exercetur—sed frustra—effugiunt deinde epulae lautae, quarum in locum succedit pallida famis imago, in lapidoso agro unguibus et dentibus raras herbas vellentis, cava lumina avidaque ossa monstrantis;—tunc horror exanguis ingruit, nec ulla spes opis restat.—Qui siti excoritur, pocula plena, fontes, flumina depingit, undas arente fauce trahere nititur, hoc modo variis imaginibus seipsum asperius crucians.—Homini libidine furenti in Venerem stimulado facilè occurrit imago puellae formosae blandae, votis suis obedientis, quae quidem imago flammam vehementiores injicit, acriusque agitatus pectus.

Omnia quae aciem mentis ab rebus externis detrahunt actioni phantasiae favent. Hic autem tenebrae primum sibi locum vindicant. Cum atra nox rerum aufert colorem, haec indefessa facultas vires acrius intendit. Menti enim lex est

est agendi, quamcunque illius functionem, ubi cetera quae huic non proximè ministrant otiantur, validius se exercere. Imaginatio igitur, facultate videndi quiescente, formas nunquam visas sibi depingit, suâque ipsius operâ vel delectatur vel torquetur.—Silentium, simili ratione, praebet agendi. Hinc magnâ ex parte tam ad operas imaginationi idoneum est tempus nocturnum. Majores vero labores quando somnus per membra quietem spargit, atque curas ex pectore solvit phantasia impendere incipit. Tunc sopitos sensus somnia deludunt, varias imitantia formas, veris miscentia falsas, quorum alia timorem injiciunt, alia gaudio instabili oblectant. Hic vigor animosus, quem in somniis exerit Imaginatio, ex auctâ conceptionum vividitate praecipuè pendet. Conceptiones, seu visiones animi, vividiores esse dum somnia adsunt, ex hoc facilè apparet, quod effectus interdum edunt vix unquam dum vigilamus observatos. Rarissimè fanè tam fervidae cogitationes lascivae hominem vigilantem incendunt,

ut semen sponte effundatur ; quis autem ignorat ejectiones violentas talibus cogitationibus provocatus sub noctem esse frequentissimas ? Clarum verò est, conceptionem hic non solam agere, si enim haec unica sit causa, juvenes qui praemia Veneris nesciunt, quippe qui nullam voluptatum lascivarum conceptionem, accuratè sic dictam, habere possunt, emissionibus istiusmodi nunquam debent tentari. Omnibus autem notissimum est, caelebes intemeratos, qui nunquam faeminae notitiam habuissent, eadem patiuntur seminis profluvia. Ad eundem effectum promovendum confert inertia voluntatis aliarumque facultatum validarum, quae imaginationi vigilantis ejusque effectibus obstare solent.

Post somnum, qui occasionem operibus phantasiae dat frequentissimam recensendi sunt, morbi aliquot, quibus scilicet delirium ullius generis adfit. Hos autem amplius considerare posthac oportebit.

His praemissis, ad effectus quos Imaginatio sana ac morbida edere solet, veniendum est.

Imaginatio vehementer percita effectus parit iis a conceptionibus vividis natis genere similes sed gradu multo majores.

Perfuasum est mihi, Conceptionem animi non, sicuti perceptio ac memoria, fidem quod objecta sua existant, necessariò implicare. Ubi autem perquam vividae sunt hujusmodi imagines, rebusque quas referunt quam simillimae, saepe decipiunt, et ad quoddam saltem tempus fidem merere videntur. Hoc accidit potissimùm quando eodem tempore imagines rerum externarum non percipiuntur, ut veris fictas comparando expediamur. Hinc, ni fallor, adeò potentes sunt species, qua cum nox caligine terras operit phantasiam illudunt. Tales sunt formae quorundam hominum nobis notorum, qui longè fortassè absunt, fortassè qui jam mortui sunt, talia quoque sunt simulacra varia res antea
vivas

vifas mentientia, oculum mentis ita validè percellentia ut oculos corporeos illidere credantur.

Magis adhuc figmenta Imaginationis complures homines deludunt. Est enim animo naturalis quaedam propenfio, quae ad res facile concipiendas credendum validè adducit. Hinc ubi vividae admodum sunt formae ab Imaginatione fictae, nostrisque de verifimilitudine opinionibus congruentes, propenfi fumus ad fidem illis habendum. Quum narrationem rerum fictarum eximiè scriptam legimus, vix nosmetipfos, dum oculi detinentur, prohibere possumus, quin eam esse veram credamus; quare gaudiis ac moeroribus quibus heroes et heroïdes affectos esse narrantur; quantum ferè si nobis essent amici, tantum percellimur? In delirio febrium species maximè abnormes aegros deludentes, praesertim si absunt familiares et res cognitae umbris occuluntur, pro certissimis haberi observamus. Sunt et alii morbi in quibus ex affectu

corporeo fictions a phantasia ortae saepe vel perspicacissimos hominum decipiunt; morbi scilicet quos comitatur malesana conditio cerebri, quales sunt melancholia, mania, hypochondriasis, et innumera alia mala, forsan a ventriculo originem ducentia, postea autem totum genus nervosum conturbantia.

Quum igitur Imaginatio facultatem intelligendi ac sensus fallere possit, nil mirum quod pathematibus imperare valet. Ex arte sua magica, cor saevo furore tumet, vel moerore acerbissimo premitur; sanguis formidine gelida concrevit vel aestu gaudii fervet. Oratoribus atque poetis hoc bene notum est, et hac quidem notitia ritè adhibendâ summam eorum artium nobilium nititur.

Orator animo difertus, secus ac scientiarum praeceptor, non tam rationibus fidem facere quam impetu motuum animi devincere conatur, ut hoc consilium exequatur, operam ad Imaginationem

ginationem movendam acriter impendit. Rem de qua agitur in aspectibus omnibus qui causae prodesse possint exponit, omniaque adversa aut velo obducit, aut ut suo proposito convenienter interpretatur. Postquam descriptionem ad finem perduxit, ad pectora audientium provocat, quae pro arbitrio suo ita commoventur, ut in sententiam optatam iudicia eorum rapiantur.

Ex omnibus autem animi affectibus spes atque metus ab Imaginatione plurimum pendent. Haec enim facultas mira cum celeritate, e multitudine voluptatum dulcissimas feligere gaudet, omnes deinde res suggerere, quae probabile reddunt, has delicias nobis esse paratas. Sic haec artifex inimitabilis arte pingendi naturam superans, *et cui neque par Zeuxis et magnus cedat Apelles,* formas tam laetas exprimit, ut maximè providos futura maximoperè caventes, saepe dolis innectat, et vana spe ludat credentes. Eadem quoque facultas haud minore facilitate super fundamenta aërea sedes aerumnarum extruere potest;

potest, quarum contemplatio pectora horrore implet.

Haec duo pathemata miris modis corpus afficiunt.—Spes modica et laeta, circuitum sanguinis, secretiones excretionisque promovendo, menti agilitatem addendo, sensusque gratos praebendo, multum ad salutem confert. Quum autem tumida sollicita atque fallax animo hausta sit, (quod saepe, si ex Imaginatione solâ oritur, eveniat necesse est), cupiditates nocentes, curas turbidas, tristitiam, melancholiam, multaque mala corporea gignit atque fovet.—Metus inter perturbationes maximè nocivas numerare velim. Qui timori obnoxii sunt, gaudiis vitae frui nesciunt, commotionibus assiduis objiciuntur, mentem spe pascere non audent, sed omnia pro minacibus horrent. Timor denique vires infringit, maciem informem affert, morbosque plurimos arcessit vel saltem graviter incendit.

Defideria

Desideria quoque Imaginatio imperio flectit, sed plerumque vehementer movet. Tanto enim res optatas in majus extollit, ut ab eis persequendis abstinere non possimus, nec periculis, labore difficillimo, molestiis nosmet ab instando deterreri permittamus. Quin et omnes tum cupiditates tum averfationes aliis rebus, quae utraque Imaginationi suggerere solent, sunt sociatae atque harum operâ magis fiunt huic facultati subjectae.

Omnia voluptatum pariter ac dolorum genera, quibus afficiamur magis ex Imaginatione quam ex quavis alia causa pendere videntur. Sensibilitas animi cum hac potestate intimè connectitur, adeo ut homines segni Imaginatione notabiles hebetes ac ferè sensuum expertes appareant.

Diversi igitur pro sua diversa natura usuque agendi, sunt effectus, quos in ceteras mentis functiones Imaginatio edit. Aliis levis est admodum,

modum, aliis tristis, aliis autem prorsus abnormalis.

Imaginatio levis nugis ineptis sed plerumque hilaribus gaudet, et perpetuò per inane volitans felicitati certe etiamque sanitati est inimica. Temperamenti sanguinei plerumque est focia, et quia ad utramque fortunam nequaquam parata ex faustis successibus nimium attollitur, rebus autem adversis haud minus deprimitur.

Multò verò infelicior ille est cui Imaginatio tristis semperque nubilis obducta. Meditationes diras formasque horrificas secum perpetuò volutat, res praeteritas cum moerore et desiderio meminit, futuras anxio metu praesentit. Facies naturae pulcherrima hilarisque oculo mentis malefano foeda et nubibus procellosis operta videtur. Benignus vultus amici indicium illecebrarum mendacium et pectoris infidiosi habetur. Absit placida quies defessis artibus tam grata, nec vel animi vel membrorum vires fractas reficere

reficere fomnus praebetur. Quum enim curae discruciant pectus, nullam dant corpori requiem, animo pervigili nullam. Tollitur appetitus; robor deinde consumitur. Functiones omnes concutiuntur. Agitur imprimis cerebrum, saepe quidem tam acriter, ut mania subsequatur. Aliter interdum, vi nervosâ muneribus solitis ritè fungi desinente, morbi in viis alimenti, obstructions, vitia concoctionis, hypochondriasis, aliique nervorum affectus enascuntur.

Nec minus nocet *Imaginatio irregularis*. Haec autem, arbitrio nec impulsa nec repressa prohibito imperitat, et quocumque vult affectiones agit. Irrequieta est, turbida, impetuosa, atque ad actiones, quae rationi foedissima cernuntur, nonnunquam accendit. Hoc verò genus phantasiae mania furenti haud rarò sociatur.

Quum tam potentes effectus ad alias animi functiones afficiendas *Imaginatio* exhibeat, non mirum

mirum est quod efficaciam insignem ad molem corpoream mutandam exercet.

Constat inter omnes, mentem viribus ad functiones corporis afficiendas ingentibus gaudere. Plurimum verò hujus potentiae actioni Imaginationis vel proximae vel remotiori, perque interventum aliarum functionum se praesenti, sine dubio tribuendum est.

Quandoquidem inter agillimas animi functiones phantasia est, fieri non potest quin illam corporis partem ubi agit validè afficiat. Necessè est cerebrum fatiget, virtutemque nervorum quàm celerrimè exhauriat. Quare cum diu et nimium defessa sit, omnes exinde functiones cerebri conturbantur, viresque sensationis, motus, cogitationis et voluntatis commoventur. Sensus imprimis mirificè debilitantur. Nec quidem omnino absurdum videtur dicere, hanc facultatem crebrò et violenter agitatum plures poetarum illustrium luminibus privasse. Ex potentia

tentia in nervorum sensilitatem exercita, morbos in circuitu sanguinis aliisque functionibus corporis innumeros efficit. Ex viribus queis in pathemata, opiniones, arbitriumque, pollet, omnium quae istis nostrae naturae partibus eduntur fit origo malorum.

Nec minus tollendis quam inferendis morbis vires mirabiles ministrat. Nullum enim est dubium quin saepe fuerit causa sanationum quas homines creduli pharmacis nullam virtutem salutiferam possidentibus adscripserunt. Operae idcirco pretium erit morbos quos inferre, quosque depellere valet, breviter lustrari.

Epilepsiae causae plerumque occultae ac vix reperiendae sunt, sine dubio autem a conditione cerebri aliquo modo pendent. Omnes animi perturbationes, terror, iracundia, graves seriaeque meditationes, exercitationes ingenii, vel in studio literarum, vel in musarum cultu, quae nimis fatigant, nunc morbum, cerebrum lae-

dendo, inducere possunt. Fatigatio mentis nimia quoquomodo illata eundem habere potest effectum, sed nulla animi facultas hac validius agit.

Franciscum Petrarchum certiores facti sumus, post multas profundas meditationes, tandem in epilepsiam incidisse. Ceterum, qui diro huic morbo obnoxii sunt, ex Imaginatione perturbata paroxysmis violentis saepè corripuntur. Nec praetermittendum est, Imaginationem de morbo ipso versatam hunc effectum potissimum praebere; sed utrum ex consociatione idearum, an ex alia causa, minimè constat. Epilepsia, nisi a causis organicis nulla medela superandis orta fuerit, saepe remediis nullam, praeter quam Imaginationi tribuere licet, vim possidentibus feliciter devicta est. Quid, quaeso, vis medicatrix in vulturis cerebro, in jecore humano, in haustu cruoris e gladiatore moribundo effluentis invenire possis? Haec certe omnia aliaque innumera a veteribus et recentioribus superstitiosis laudata,

laudata, vires Imaginationis novo modo exercendo, novamque actionem, priori fortasse contrariam, instituendo tam feliciter interdum succedunt. Vel forsan effectus magna ex parte huic tribuendi sunt, quod, auxilio phantasiae, valida pathemata cientur, horror exempli causâ, spes alique animi motus quos plurimum valere notum est.

Sunt et alii morbi convulsivi qui eandem, haud rarò, originem agnoscunt. Ne igitur tales foveantur, vitandae sunt omnes mentis perturbationes, et imprimis cavendum est ne phantasiae indomitae nimia indulgentia permittatur.

Catalepsis morbus est rarissimus cujus quidem de causis minimum constat. Attamen ex medicorum scriptis videtur, plerosque diro huic affectui obnoxios melancholicos fuisse qui fortiori vi Imaginatrici gavisi erant, quique ideas de numine summo, spiritibus coelestibus, aliisque rebus sacris ferè perpetuò sub animo soliti erant versare.

Tales

Tales homines phantasiae indulgentes res omnes externas susque deque habent, animo autem immittunt habenas, ideas quas sublimes vocant inter se comparant, donec omnium corporearum obliti faxis immobiliores redduntur. Tunc, velut in somniis, phantasia sola imperat visionesque vel laetissimas tristissimas fingit, quas ex coelo descendisse saepe creditum est. Meditationes cujusmodi profundae fixaeque, fuerint tristes an laetae, utrum ex terrore an ex aliis animi commotionibus ortae, hunc effectum praebuisse notissimum est. (Vide Galeni Comm. in Hipp. 2. cap. 56. Tulp. obs. lib. 1. cap. 21. August. de civ. Dei, lib. 14. cap 24.)

Contendat igitur medicus qui huic morbo occurrere conatur ideas fixas nocentes ab animo movere, copiamque meditationis profundae quam solitudo favet, per jucunda amicorum colloquia aliasque occupationes gratas, omnimodo tollere. Mutatio coeli, nova et jucundiora loca ostendendo, saepissimè prodest.

Hysteria

Hysteria multum ab animi commotionibus et agitationibus pendet. Huic maximè proclives sunt puellae naturae tenerioris, ingenii acuti, animique mobilis, quae ad impetuofas mentis cogitationes pronae sunt, et gravibus affliguntur perturbationibus. Ex sanè, ni fallor, Imaginatio judicio validior semper est hujus mali pars non minima. Judicio enim et voluntate pollutibus, faeminas mentis constantioris affectus hujusmodi resistere aliquando videmus. Quando autem Imaginationi remittuntur fraena, si causae levissimae adsint, paroxyfmi violenti facilè excitantur, non ita facilè cohibendi. Constat etiam, memoriam et conceptum animi tales paroxyfmos saepe renovare. An mirum igitur si Imaginatio, quae his certè pollutior est, idem praestare queat? Amoveantur igitur omnia quae ideas nocentes in mentem revocare solent; evitentur quaecunque paroxyfmos unquam comitata sint; sed potiùs (si fieri potest) sic confirmetur mens, ut haec omnia innocua reddantur.

In malo hypochondriaco, quod priori est affine, mens vehementer turbatur. Causae vel minimae tristitiam, metum, iram, ex phantasia perversa inducunt. De valetudine praecipuè hallucinantur aegri, multos affectus graves adesse fingunt, omnibusque phantasiae ludibriis fidem dant, donec, ratione labascente, pereunt omnino et corporis et animi vires. Huic affectioni maximè obnoxii sunt, qui vigore ingenii gaudentes, studiis literarum nimis indulgent, meditationibus acribus et assiduis sese dedunt, et, rebus familiaribus neglectis, in solitudine atque otio artes Imaginationis cum ardore excolunt. Depellantur summopere, omnia quae animum turbare queant, reficiatur mens ludis, consortio amico, itineribus per loca amoena, aliisque rebus hilaritatem ac sensationes gratas afferentibus.

Melancholia saepe inter sequelas hypochondriaci mali numeratur ; saepe etiam sine istiusmodi affectione praeunte dispositos adoritur.

Omnia

Omnia ferè signa, praeter quae ex vitiis corporis oriuntur, Imaginationi laesae tribuendae sunt. Definitio profectò quam olim proposuit Aretaeus, hanc causam agnoscit. “ Melancholia (inquit ille) est animi angor in una phantasia infixus et inhaerens, absque febre.” Innumerae fuerunt imagines falsae quae in omni aevo hypochondriacos illuserunt, quarum haud paucae vix credibiles sunt. Aetius meminit cuiusdam qui se capite carere assererat. Plurimi se mortuos existimabant. Quidam se vitreum esse, alius se lateritium, credebat, alii se pedes vitreos vel crura ex straminibus habere putabant. Alii sese pecudes esse lugebant, multi se reges, imperatores, angelos, etiamque Deos jactabant.

Viri maximè ingeniosi, quibus Imaginatio fertilis est admodum, ad hunc morbum prae aliis hominibus sunt proclives. Nihil autem tam in medendo efficax erit, quam exercitatio mentis modica, ac de multis rebus novis, quae iis antea nocentibus

nocentibus valde difimiles sunt, versata.—Tristitia, quae hujus mali nota est generalis, ex Imaginatione malè sanâ ferè omninò oritur. Homo cui mens tristis, semper is est, qui formas miseriarum contemplari solet, qui in unam tabulam omnia quae in facie naturae et in rebus humanis aerumnas inferre possint colligit, et qui contentione validissima in positu minime felici omnes ad quemcunque eventum vel quamcunque expectationem pertinentes assiduè versat. Melancholia profectò ad unam rem semper convertitur, et plerumque in odium vitae procedit.—Aliud melancholiae signum timiditas est; quae certè ab Imaginatione morbidâ pendet. Terrores enim hypochondriacorum ac melancholicorum omninò sunt phantasiae figmenta, omnibus quidem sanis absurda apparentia. Sed nequaquam pro simulatis sunt hi terrores habendi, nam saepè fiunt adeò acerbi ut in desperationem ducant.

Religio superstitiosa etiam ab Imaginatione vitiosa oritur, ac saepe melancholiâ excipitur. Oratores fanatici in concionibus suis deliris terrores justitiae divinae tam horrificè saepè pingunt, ut infirmae audientium mentes formidine intolerabili, commotionibus perpetuis, dubitationibus de animi immortalis conditione maxime cruciantibus, et conspectu peccatorum atque errorum dirissimo percellantur, unde in desperationem mortemque immaturam praecipites aguntur. Iidem praecones amentes interdum gaudia caeli ita magnifica canunt, ut aliqui auditorum taedio et aversione vitae, tamque impatiente felicitatis superûm cupidine afficiantur, ut in facinus quoddam scelestum impellantur, quo quidem facinore infelices illi ab onere vitae mortalis, sine manus caede ipsorum tingendo, levare cupidè sperant.

Plura adhuc de melancholia dicere facile esset; sed jam satis dictum est ad ostendendum quantum ab Imaginatione laesa hic morbus

pendet. Imaginatio enim laesa, ni fallor, causa proxima habenda est. Satis quoque ad monstrandum dictum est, auxilia externa sola sine attentione ad mentis perturbationem sedulâ factionem conficere non posse.

Mania omnium morborum atrocissimus. In hoc profectò magis adhuc quam in morbo jam memorato Imaginatio turbatur, nam de omnibus hallucinatur. Aeger rebus factis minimùm dat attentionis, atque sine intermissione circa mentis fictiones delirat, et saepissimè quidem de injuriis quas credit adversum se factas esse vel paratas, miserrimas quaerelas profundit.—Imaginatio diu validèque circa res quasdam occupata miram tandem celeritatem consequitur, et tam agilis evadit, ut nemo cogitationum hominis infani nexum cernere possit. Confociatio igitur idearum hoc morbo rapidior fit, quam ut judicium aegri justas notiones ab incongruentibus, res gestas a fictis, discernere nequeat. Homines ingeniosi, Imaginatione validâ praediti
naturâ

naturâ ad iracundiam aliasque perturbationes proclives, qui mentem nimis et diutius in aliquid intendunt, et praecipuè qui studiis sublimibus acriter incumbunt, hoc saepissimè corripuntur. Philosophorum, mathematicorum, poëtarum, histrionum, theologorum, scriptorum historiarum fabulosarum, (lectitantium etiam, si equitem *De la Mancha* pro exemplo memorare licet) haud pauci ita fuerunt affecti. Hinc olim ortum est adagium, “nimium doctrinae te insanum fecisse.” Hujus igitur causae in curatione talium morborum ratio diligenter habenda est. Amoveantur res qualescunque cogitata nocentia suscitantes. Cohibeantur maniaci a perniciosâ Imaginationis et pathematum indulgentiâ. Impellantur interdum metu, interdum benignitate, (ut opus fuerit) ad res veras justè considerandas, ut errores phantasiae tandem omnino cohibeantur.

Nostralgia alius est morbus qui ex phantasia nimium indulta originem ducit. Imagines voluptatum

luptatum praeteritarum, amicorum longè absentium, amnium, montium, rupium, nemorumque amaenorum, quae domum paternam circumplectuntur, locorum ubi ludi pueriles oblectârunt, cuique sunt gratae, sed meditabundos tristefque saepe tam validè movent, ut vires et animi et corporis deperdant, et aegritudinem nullâ medicinâ, nisi spes patriam revisendi accesserit, sanabilem inducant.

Multorum sanè aliorum morborum simili modo Imaginatio laesa pro origine fuit. Ex animi perturbationibus immoderatis, sive laetis seu tristibus, ex meditationibus de studio qualicumque acrioribus, ex Imaginatione quoquo modo fortiter agente, sanguinem nimirum graviter commovendo, multi in palpitationem cordis, in apoplexiam, cephalalgiam, epistaxin, aliasque haemorrhagias, abortum, aliosque diversorum generum morbos, aut rapidiùs aut lentiùs vitam tollentes, inciderunt. Multi quoque morbi eadem ex causa lethaliter ingravescunt.

Febrium

Februm omnia genera, inflammationes, (phrenitis imprimis,) podagra, pestis, scorbutus, cholera, vomitus, dysenteriae, haemorrhagiae, si quibusdam auctoribus fidem habemus, etiam illata fuerunt, at certè saepenumèrò graviter aucta. De his latè tractare non in animo est. Liceat saltem dicere eos omnes morbos, sive ex Imaginatione, sive ex aliis causis ortos, multum levaminis a prudenti hujus potestatis regimine ducere, neque paucos eorum attentione ad hunc solum praebitâ sublatos fuisse.

Plurima quidem remediorum quae maximè celebrata fuerunt, efficaciam ex viribus phantasiae magna ex parte duxere. Magnam in functionibus corporis moderandis vim esse phantasiae jam fuit confirmatum. Expectandum igitur hanc facultatem vires medicaminum, nunc augere, nunc minuere posse. Sed quod mirandum est, haud rarò vice medicaminum fungitur, et interdum effectus, naturalibus prorsus contrarios, edit. Fuerunt qui, purgantibus visis
vel

vel odore perceptis, alvi ductionem experti sunt ; alii, quibus fide solum cathartici sumpti alvus mota est ; alii, quibus astringentibus et narcoticis pro purgantibus sumptis venter solutus est. In aliis exemplis sudorem simili modo astringentibus motum esse, Pechlinus et Hoffmannus auctores sunt. Quid memorem effectus remedium superstitiosorum, quae ex vulgaribus et inertibus rebus confecta morbos graves interdum amoverunt ? An numerare oportet frivola hujusmodi, amuleta, lapillos, quisquillas ab aegris circumgestatas, tactum manûs applicatum, incantamenta ritè celebrata, horrida quaedam pro dolores, febres intermittentes, epilepsiam auferendo, olim et adhuc perpetrata ? Videtur quidem hoc non politicos antiquos latuisse, potiusve credulos istos pariter ac plebem falsâ religione fidem locâsse.—Ferunt, praescriptum fuisse in libris Sybillinis (qui sanctâ curâ ab Romanis servabantur) si pestis populum invaderet, lectisternium pro solo remedio celebrandum oportere. Et Livius nos certiores facit, hanc

hanc ceremoniam miro cum successu aliquando observatam fuisse,

Eidem causae tribuere licet quodcunque vis salutiferae ex magnetismo animali oriri unquam putatum est. Postquam enim investigatio accuratissima, jussu Regis Gallici instituta, philosophis egregiis habita erat, visum est omnibus, nihil aliud esse efficacem nisi Imaginatio aegrorum validè mota. Fiducia summa primùm excitata est, imagines jucundissimae invitatae, timor longè depulsus et omnes motus morbidi coerciti.—Etiam cum nulla applicatio facta est, si aegri ad credendum hunc magnetismum mirabilem applicatum esse impelli potuerunt, effectus validissimi semper observati sunt.—Convulsiones saepe sanitatem restitutam praegressi sunt.

Nec recentioribus temporibus defunt talia remedia.—Quid enim est hoc quod Tractorum Metallicorum decantatur? Si quidem vis ulla in his refidet, haud ignarus sum, effectus minores

res ex Imaginatione solâ oriri.—Nam quum interdum (experimenta enim haud deficiunt) lignum pro metallo adhibitum est, eadem evenerunt ac si Tractores ipsi applicati essent; dolor levatus est, et partes corporis laesae citò ad sanitatem redierunt. Quod de hac re, a medico insigni Joanne Haygarth editum est attentionem omnium medicinae cultorum meretur; ex illa enim dissertatione concludere licet, effectus qui aliquando ex Tractoribus fictitiis (lignis) oriri, crediti sunt majores esse et mirabiliores quam qui unquam tractoribus Perkinisii tributi sunt,—Tractores metallicos nullam efficaciam ex Galvanismo aut electricitate animali derivare,—et Imaginationem solam esse causam, quae curationem conficit. Discimus praeterea quantum valet fides medico data, et unde oriuntur effectus mirabiles remediorum empiricorum.

Quomodo autem fiunt haecce? Haud quidem omnes talium processum gradus indicare vires mihi sufficiunt; sed de quibusdam minimè
est

est dubitandum. Multum, ni fallor, omnium ferè morborum ex voluntate depravatâ oritur. Quando hujus potestatis nobilissimae, ceterarum moderatricis, vires deficiunt, facilè in labem ruit corpus. Omnes functiones et animi et corporis turbantur, et dum haec conditio morbosa perstat, omnia in pejus procedunt. Sed Imaginatio interdum munus voluntatis usurpat, et interdum hanc ad actiones necessarias stimulat. Restituuntur tunc potentiae sopitae, debito cursu omnia progrediuntur, et cum sanitate habenas resumit voluntas.

Imaginatio circa formas gratas occupata hilaritatem affert, tristitiam, sollicitudines, timores longe fugat, adeoque impedimenta sanitatis pessima prorsus aufert. Fides tunc remediis habetur, spes beneficii accipiendi fovetur, vota ut sanitas restituatur avidiora fiunt; voluntas igitur quàm fortissimè contendens effectui optato favet, et omnes quae menti obedientes sunt partes ad eandem operam conspirant. Functiones sti-

mulo parent, quem potentem antea expertae sunt, aut quocum effectus certi generis in mente consociati sunt. Aeger sanitatem cupit, ac voto potitur.

Semper in mente teneatur, quam necessarium esse in febribus aliisque morbis violentis hujus facultatis habere rationem. In Typho, nec minus in Synocha, Phrenitide, omnia quae multum irritant, sedulo fugienda sunt. Cogitationes ingratae nequaquam suggerantur, sed contra evitentur omnia quae mentem ad agendum suscitare possint. Si delirium grave adfit, ostendantur res notae et familiares ad errores abigendum. Foveatur sanitatis spes, ut mens sit patiens et tranquilla. Denique pro violentia morbi temperetur ita phantasia, ut aequae ab meditationibus acerbis et ab iis quae animum demittunt conservetur.

De vi phantasiae matris in foetu afficiendo multi auctores differuerunt. Horum verò alii magnam, alii nullam talem vim agnoscunt. Non is sum certè qui tantas componere lites suscipiam; sed mihi procul dubio videtur, utraeque suas sententias nimia cum fiduciâ dixisse. Omnibus fabulis de monstris potentia phantasiae maternae deformatis, nemo minus dat fidei. Nequaquam tamen ita absurdum mihi, ut quibusdam, videtur, Imaginationem aliquam hujusmodi potentiam habere. Multa enim sunt exempla notissima ubi hac facultate effectus haud faciliùs explicandi manifestè proditi sunt.

Quis, quaeso, rationem exponere promittit, qua Imaginatio intestina ita movet, ut purgatio inducatur? An talis scientia huic facultati tribuenda sit, qualis parti alicui ubi velit operam suam dirigere possit.

Sed

Sed mirabiliorem Imaginationis effectum in facultate imitationis vocis, gestûs, vultûs etiam ac morum (quae Anglicè *mimickry* audit) observamus, quam gradu validiore aut debiliore omnes possident, et certi homines perfectione summa. Hi plerumque sunt, qui Imaginatione vivida gaudent, quique voluntatis in vires motrices imperio facilè uti didicerunt. Nihil fanè difficiliùs est quam invenire quales motus quaslibet modulationes vocis et tenuia sonorum discrimina efficere. Novimus tamen hos motus, quamvis nunquam antea tentatos, posse citissimè simulari. Modulatio organorum tam subito fit quam si fuisset actio solita et omnino naturalis. Hoc certè est exemplum voluntatis ab Imaginatione, potiusve a conceptione pendentis, quod solertissimi causarum abditarum indagatores explicare non possunt.

Mirandum quidem est quod phantasia vim suam ad foetum, qui in utero est quoquomodo corpus alienum, ac nequaquam pars proprie ita dicta

dicta matris ipsius, extendere potest. Nexus autem arctissimus hanc inter illumque intercedit. Nec absurdum est conjicere sympathias quasdam inter partes utriusque similes existere. Si haec suspicio permittitur, quid tam mirum est quod pars aliqua corporis materni stimulo externo affecta ad partem similem foetus eam affectionem extendat? Hoc non mirabilius mihi apparet quam dolor humeri dextri ex hepatide oriens, inflammatio testis ex cynanche parotidea, vomitus ex injuriis capitis, &c.—Haudquaquam mea sententia est, Imaginationem proxime foetum afficere. Sed quare non ponamus, hanc facultatem, in corpus matris agentem, vires suas interventu nervorum ac vasorum ad foetum porrigere?

Novimus praeterea uterum vim musculofam validissimam exercere posse, quae pro variis stimulis applicatis varia esse possit.

Sed longum foret de hac re ampliùs differere.
Alias inquisitiones de viribus phantasiae saepè
propositas remittamus necesse est.

FINIS.



EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO.



